

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

*De Malignitate & de Peste:*

Quam, annuente summo Numine,

*Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,*

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

*Academiae EDINBURGENÆ Praefecti;*

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, & nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medicina honoribus. ac privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit,

GUALTERUS LAURIE *Scoto-Britannus.*

Ad diem 21 Junii, horâ locoque solitis.



ROYAL SOCIETY OF MEDICAL PHYSICIANS





V I R O E R U D I T I S S I M O

A N D R Æ Æ S<sup>T</sup>. C L A I R, M. D.

In Academia Edinensi

Medicinæ Professori Regio,

Disquisitionem hanc Medicam, Studiorum  
suorum Primitias,

*Tum perennis observantia,*

*Tum pariter gratitudinis ergo,*

D. D. D.

GUALTERUS LAURIE.





---



---

*De Malignitate & de Peste*

DISSERTATIO.

**N**ON possum non magnopere lætari, gratoque animo recolere, quod sub ductu atque auctoritate virorum ita longè latèque celebrium, hæc studia inchoavi, auxili; artemque Medicam, non labili hypotheseôn fundamento superjectam, sed veris firmisque experimentis, sed Autopsiæ ipsæ, atque ubi deficit hæc, Analogiæ, non quidem ex vanis Chymicorum figmentis, uti olim, depromptæ, sed ex sanioris philosophiæ principiis petitæ, adstructam innixamque, accepi: Artem, inquam, quâ nihil præstabilius, nihil humano ingenio dignius, excogitari possit; quæ, si qua alia, sub operta naturæ rimans, multiplicem humani corporis compagem eruit, functionesque varias ab eâdem miro quodam nexu pendentes deprehendit, summi denique Auctoris opera magis abdita, & quasi *νοσηφαια* investigatur. Hinc ad evolvendas secundæ & adversæ valetudinis causas, easque inter se conferendas, accenditur animus, ac morbo invalescenti aut obicem ponere, aut naturæ jam

A languescenti

languescenti suppetias ferre, aut denique mineram morbificam è corpore eliminare aggreditur. Tantæ molis est Medicinam facere! Utinam verò demonstrationis æquè capax sit scientia hæcce, ac quædam ex reliquis, tum uti maximum à Diis beneficium acceptum meritò æstimaretur; sed non datum est mortalibus hîc ultra certos limites scire. Nunc ad propositum.

Malignitas.

CUM multa in Febrium historiâ nequaquam satis adhuc explicata sunt, quanquam de iisdem complures gravissimique Auctores variè differuerunt, tum præcipuè quæ de earum Malignitate traduntur perobscura sunt & difficilia, adeò ut nomen ipsum ad ignorantiam rei celandam, sicut de occultis Aristotelis qualitatibus affirmari solet, planè fictum esse videatur. Terruit nimirum subita ejus atque inopinata, ut & funesti plerumque ominis in morbis præsentia, sicut Cometæ in cœlis, ubi flammeo caudæ tractu diri cujusdam eventûs præcursor olim habitus est. Sed quoniam hanc rem paullò altius repetere, & ad examen revocare institui, anquirendum est primò, Cui Febrium clâssi adjungitur? Quâ formâ sese ostendit Malignitas hæcce? Quomodo ex consensu Medicorum dignoscatur? Quali denique symptomatum *συνδρομή* stipetur? Quibus cognitis, ad perscrutandam ejus naturam, originemque investigandam instructiores accedamus. Interea, non sum nescius Malignitatem apud Auctores variis in morbis variè usurpari, neque Chirurgicæ arti abesse, cum per eam, *δυσπεψίαν*, sive materiei morbum committentis pertinaciam, & sanationis difficultatem designare velint. Hinc ulcera maligna, gonorrhæas malignas, cæteraque id genus toties in libris invenimus. Sed laxiorem hujus vocis sensum evolvere in me suscipere nolim, siquidem id vetat instituti nostri ratio & hujusmodi opusculorum limites; quapropter strictiorem in acutis amplecti sufficiat.

Distingui



Distingui commodè solent omnes quotquot Febres bifariam: Una pars complectitur eas quæ à caussis generalioribus, sive externæ eæ fuerint sive internæ, & universo simul corpori infestantibus, ortum suum ducunt. Altera, quæ ab inflammatione cujusvis visceris, & originem suam & nomen plerumque sortiuntur; hinc Peripneumonia, Pleuritis, Hepatitis, &c. cujus generis & Lentæ affines sunt, utpote quæ ab humoribus impuris viscera exedentibus (sive in iisdem nati sint, sive aliunde advecti) oriri videntur, & exinde lentis gradibus ægrotantem conficiunt. At in priore genere quærenda est Malignitas, quippe quæ huic magis convenit.

Divisio  
Febrium  
duplex.

Ut ordiamur igitur à Febribus simplicissimis. Febris Ephemera adeò mitis plerumque calor est, cæteraque symptomata ab aucto paullulum circumeuntis sanguinis impetu ita apertè emanant, ut ne vel minima Malignitatis suspicio hîc locum habere potest, uti enim levi negotio excitatur, ideò intra 24 horarum spatium absolvitur, nisi forsan errore circa sex res non-naturales admissio in castra Continuarum transeat.

Febres Ephemerae.

Neque etiam in Intermittentibus aliqua Malignitatis nota facilè deprehendenda est; hæ enim utcunque calorem intensiorem & atrociora symptomata advehant, capitisque arcem ita nonnunquam arietant, ut delirium inducant; cum tamen periodos suas ritè atque ordine conficere, & à caussis evidentibus, quales sunt ægrotantis ætas, temperamentum, sexus, cœli conditio, non-naturalium abusus, &c. in tantam sævitiam attolli observentur, nullam idcirco in se Malignitatem continere existimandæ sunt; quibus itidem caussis referri possunt paroxysmorum irregularitas & variatio haud rarò conspicienda, atque etiam symptomata magis abnormia quæ his Febribus quandoque accidere, ex fidelibus Sydenhami, Hoffmanni, aliorumque observationibus, passim colligimus.

Intermittentes.

Immitia



Febres  
Ardentes.

Immitia autem atque efferata Causorum seu Februm ardentium symptomata, uti, summum intus incendium, vigilia pertinax, mentis alienatio, sitis inextinguibilis, irrequieta jactatio; cæteraque id genus horrenda quæ ægotantem jugiter excruciant; hæc, inquam, primâ fronte Malignitatem præ se ferre videantur; sed attendamus paulisper, & ne temerè ad sensum præbeamus: Omnes enim Febres præter causas sui excitatrices, sive extra illæ sive intus hospitantur, sua etiam incrementa, status & decrementa adgnoscent; cumque solis ardor vehemens, diuturnus, præficcus, succedente tempestate frigidâ, harum auctor sit plerumque & genitor; quid familiarius est quam quod hæc Febres tali principio ortæ, in tantam violentiam insurgant? Annon hîc novi aliquid? Annon unquam observârunt Medici Malignitatem, larvâ abjectâ, ita aperto Marte depræliantem? Quin potius, uti mox videbimus, furtim prorumpit, & quasi ex insidiis ægotantem petit. Huic consentaneum accepimus Galenum: (a) “ Debiles, inquit ille, & parvæ Febres quandoque valdè malignæ sunt, & aliæ calidæ, & æstuosæ ut stomacho angustiam & calorem, ac sitim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculosum.”

Febris  
Synochus  
simplex.

In iis Febris quas *συνοχος* seu Continuas appellarunt, nulla adhuc quæ Malignitatem similitudine referant, occurrunt symptomata, quæ cum varia sint pro causarum varietate, atque ægotantium temperamentis, tum præcipuè à Plethorâ sive nimîâ sanguinis boni copia proficiscuntur, & sese exhibent per faciei atque oculorum rubedinem, immanem capitis dolorem, respirationis molestiam, vertiginem, soporem, membrorumque torporem, & similia, unde Febres eæ à nonnullis Sanguinearum cognomen habent (b).

At

(a) Gal. L. 3. de Crisibus, Cap. 4.  
Vol. 4. P. 324.

(b) Hoffm. Med. Syst. Rat.



At in illâ alterâ specie quæ Synochus Putrida audit, cui nempè ab insigniori humorum pravitate nomen ductum est; si hujus causæ simul omnes intendantur, planè diversa atque aliena erumpunt symptomata, qualia præcipuè sunt, vires subito & absque ullâ προφασει collapsæ & quasi præfocatæ; quibus nonnunquam accedit exanthematum purpureorum, lividorum sub cute conspectus; quæ Medico repentini talium hostium adventûs haudquaquam præscio, spem ferè omnem ressecant. Quid igitur statuendum est? Hæccine cum reliquo symptomatum grege recensebimus? Minimè gentium. Quin ex Medicorum omnium consensu, veram Malignitatis progeniem esse fateamur. Sed quoniam ad hanc rem confirmandam Auctorum suffragia requiruntur, siquidem plura proferre supervacaneum sit, paucorum idcirco testimoniis utemur. Et primò Sennertus: “ Si quis, inquit, Febre laborat cujus calor est mitior & vires nihilominus dejiciuntur, hoc jam Malignitatem arguit (a).” Et paullò post: “ Etsi autem in aliis differentiis & circumstantiis à naturali parum discrepare videatur, tamen si vigor ille naturalis sine manifestâ causâ desit, jam Malignitatis suspicionem affert (b).” Et alibi: “ In omni enim peste animadvertitur subitaneus virtutis vitalis lapsus, summaque virium debilitas (c).” Audite Willisium nostratem de Febribus malignis & pestilentibus verba facientem: “ Super his, inquit, si solito Febrium ritu non judicantur, quin ægrorum vires sine causâ manifestâ prosternuntur, & contra Medici pronosticum mors sæpè improvisa & insuspecta advenit, adhuc major ingruit Malignitatis suspicio (d).” Accipite etiam Hoffmannum: “ His, inquit ille, indiciis deleteria indoles morbi cognoscenda est. Ab initio statim ægri conqueri solent de virium summa prostratione atque debilitate, ut

Synochus  
Putrida.

Symptomata ma-  
ligna.

Aucto-  
rum testi-  
monia.

B

erecti

(a) Senn. T. 2. p. 184.  
Will. de Febr. p. 164.

(b) Id. *ibid.*

(c) Id. p. 133.

(d)



“ erecti vix consistere, vel pedibus incedere queant, sed  
 “ mox animo deficient ; quum in aliis continuis & acutis  
 “ morbis demum in statu & vigore ejusmodi imbecillitas  
 “ observetur (e).” Et de exanthematibus locutus hæc ha-  
 bet : “ Tantum hinc abest ut maculæ hæ salutis spem fa-  
 “ ciant, ut potius quo copiosiores compareant, eo mayo-  
 “ rem corruptionis gradum, quin lividi, plumbei, & ex a-  
 “ tro viridescentis coloris sphacelosam planè corruptionem  
 “ arguunt (f).” De his autem fufius infra.

Indagatio  
causæ  
Maligni-  
tatis.

Sed quid plura ? jam satis constat quæ sit Medicorum  
 de Malignitate sententia, quibus notis detectam prodide-  
 runt, quousque eam intellexerunt : Hic agitur sc. non  
 cum generoso & aperto, sed cum truci ac subdolo hosti,  
 qui ægrotantis viribus clam & insidiosè surreptis, & qua-  
 si in vincula coniectis, rerum potitur. Ex quibus licet  
 concludere, Malignitatem esse eam Febris continuæ putri-  
 dæ conditionem quæ citam nec facilè evitandam mortem  
 minatur subitâ & insolitâ virium prostratione, maculis li-  
 vidis, cæterisque pejoris Cacochymix indicis. Hucusque  
 nobis conspicendam sese exhibet Malignitas, fons ejus at-  
 que origo etiamnum latent, quæ quanquam investigari  
 res ardua esse videatur ; cum tamen animadvertamus cæ-  
 terorum in morbis symptomatum causas, (de proximis  
 enim loquor) magis in propatulo esse, non est cur hujus  
 etiam ac plerique rati sunt, adeò in puteo, ut aiunt, im-  
 mersam arbitremur. Sed quo res illustrior evadat, præ-  
 mittenda sunt hæc.

Omnia humorum massa, quæ per corpus circumfertur;  
 ex globulis diametrorum decrefcentium conflatur ; id par-  
 tim ostendunt Microscopia, partim suggerit Analogia.

Obstru-  
ctio.

Sanguis ita constitutus per tubulos seu vasa serierum iti-  
 dem decrefcentium, jugiter fluit.

Præter

(a) Hoffm. *Med. Syst. Rat.* Vol. 4. p. 258.

(b) Id. *ibid.*



Præter vasa majora, his globulorum speciebus aptantur vasorum minorum series totidem, quarum capacitates respondent diversis globulorum diametris.

In statu sano feruntur humores per has vasorum minorum series, eâ lege ut seriei species singulæ suos vel minores globulos excipiant, majores excludant, quo promptus efficitur singulorum transitus. Quod si vel intra sua vel aliena minora vasa hæreant globuli, nascitur Obstructio, morborum penè innumerabilium foecunda mater.

Fiet proinde Obstructio vitio vasorum vel humorum.

1. Vitio vasorum; si hæc nimis contracta aut compressa sistunt humores proprios, vel nimis dilatata alienos admittant.

2. Vitio humorum; si nimis spissi hæreant in propriis, vel nimis soluti aliena ingrediantur.

Cum autem humoribus nimis spissis accedat simul vasorum contractio seu compressio; vel nimium solutis totius vasculosi systematis dilatatio; vel demum ex his diversæ modificationes; tum orietur magis complexa & mixti generis Obstructio. Hinc in vasculis rubrum sanguinem advehentibus si binæ hæ causæ priores simul adsint, fiet Phlogosis, sive Inflammatio pertinax, aut in Gangrænam abitura, aut in suppurationem effundenda, aut artis ope resolvenda. Si in vasculis serosis tantum obtinet, Oedema; quippe quod blandior liquoris obstructi est indoles & vis a tergo propellens longè debilior. Verùm hujusmodi Obstructiones in vasis propriis enasci existimandæ sunt. Quod si à causâ aliquâ laxata nimium vasorum oscula in alienos globulos hient, neque tamen eos ad finem usque conici canalis ob viarum angustias propellere possint, tum ea quidem innotescit Obstructio, quam ab errore loci profectam designant Medici. Inde fit, ut si post valida exercitia statim frigidus hauriatur potus, aut in fluvio immergatur, aut gelido æeri nudum exponatur



Malignitas ab obstructione.

ponatur corpus, quanta pericula imminet! dilatata sc. à calore vasa accipiunt alienos humores, & cum frigus contrarium effectum obtinet, fit subita vasorum constrictio, figuntur inclusi liquores, eorumque regressus omninò prohibetur; hinc à motu cordis turbato Syncope aut Mors ipsa. Ita, uti perhibet Curtius, Alexander longo itinere in regione fervidâ æstuans, Cydnum amnem impatiens adiit, ut sese ablueret; “vix ingressi subito horrore artus rigere cœperunt, pallor deinde suffusus est, & totum prope modum corpus vitalis calor reliquit; expiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt (a).” En Obstructionem universalem ab errore, ut aiunt, loci profectam! Si denique similem ferè ad modum concipiamus à vi morbi deleteriâ ita derepentè laxari vasa ut sanguis ruber in serosa, serosus in lymphatica adigatur, & sic porro donec ad tenuissima nervorum filamenta perventum sit; quid deinde sequetur? Nonne summa virium prostratio, ab impedito liquoris tenuissimi, i. e. nervei, libero meatu oriunda? & quid aliud est Malignitas? Hinc cor adeò frequenter laborat, ut Sennertus ex eo affirmandi occasionem arripuit, “ejus partis necessariò morbum esse pestilentiam (b);” eamque definire aggreditur uti huic soli visceri perniciem intentantem: Sive enim ob præpeditos nervos cardiacos sanguis vœnosus in cordis sinibus jugiter accumulatur, & musculus alioquin fortissimus, jam ei expellendo prorsus impos tandem suffocetur; seu ab occlusis arteriolarum tam serosarum quam lymphaticarum finibus, insuperanda ferè cordi nascitur resistantia, eodem res redit. Nuperæ quidem Medicorum apud pestem Massiliensem & Provinciam observationes (qui, apertis compluribus infectorum cadaveribus, aiunt, sese aliis cerebrum, aliis simul jecur, aliis alia quoque viscera prætumida & cruore impacto suffusa

(a) Q. Curtius, L. II. Cap. 5.

(b) Sennert. Op. Vol. 2. p. 133.



suffusa deprehendisse) hæc, inquam, observationes primâ fronte conficere videantur; quod à sanguinis inspissatione tragœdiam suam orditur pestilentia sive morbus malignissimus: Attamen, cum pace tantorum virorum dixerim, ab intrepidis illis exploratoribus nimis temerè in re dubiâ iudicium latum est; Quid enim manifestius est, quam quod, sanguine in alienos tramites evagato, ob impervia locorum ponè subsistat humor à tergo urgens, usque & usque donec in vasis etiam majusculis coacervetur & quiete coalescat? Atque ita hæc sanguinis incrassatio nihil erit nisi effectus ejus, quam posuimus ab errore loci profectam, obstructionis, quæ Malignitatem ipsa constituit; quod probant exanthemata sive maculæ purpureæ, perpetui ferè Pestis comites, quæ sanguinem rubellum in vasa non sua irrepisse, dein moleculis grandioribus fibras teneras jamque inertes divulgasse, postremò effusum, colorem purpureum aut lividum sibi morâ adscivisse, palam testantur. Sed non æquum est totam hanc rem ad vasorum laxitatem atque inertiam unicè referre, cum sanguis & ipse unâ mulctatur, utpote cujus crasis adeo dirumpitur atque in corruptelam faceffit, ut vasorum alienorum oscula faciliùs subintrare queat; quomodo id fit, aut quibus viribus ita exolvatur, eruere conabimur cùm in Pestis historiâ versemur.

Maculæ  
purpureæ  
unde.

Detectâ demum Malignitatis causâ proximâ, quantum sc. eam ope Analogiæ à veris principiis deductæ assequi valeamus: Nunc quidnam sit illud adeò humano corpori infestum, ut tantas in eo tamque repentinas turbas excitet; cur solida æquè ac fluida ita subito quasi afflatu pessundentur; qualis denique sit effera illa vis quæ firmam antea vegetamque sanitatem jam in præcipitem ruinam trahit, explorandum est. Et quia morborum ille maximè

Pestis.



Pestis.

altiores elicere possimus: Temerarium alioquin & nimis arrogans inceptum! tum quod varia ita sit ac versatilis di-  
 ri hujus morbi indoles, ut doctissimorum etiam virorum ingenia frustra plerumque torserit; tum quia in Medicorum & veterum & recentiorum scriptis satis teritur, ne aliquid inconditum aut vulgaris notæ adjiciatur. Is sc. est plerumque hujusce furor, ea symptomatum truculentia, ut ab excandescenti irâ divinâ planè exsuscitari & Historici & Medici crediderunt; atque si per numinis arbitrium licitum fuerit huic vel singulo decennio caput efferre, longè latèque se diffundere, atque eâ demum sævitiâ grassari, quâ per totum ferè terrarum orbem, circiter medium seculi 14<sup>ti</sup> (a), longè antehac, opinor, absumpsisset humanum genus. Verum cum hic princeps morborum variâ se facie ostendat, interdum ceu tyrannus immitissimus, ægrotantes in summos cruciatus conjiciens, optato tandem morti tradit; sæpius instar vafri simulatoris tam maximè cum invado res esse putatur, sese manifestam faciens, ægri Medicique spem fallit; hinc in re adeò ancipiti aliquid certi stabilire sive circa morbi genium seu ejusdem medelam, arduum sanè & difficile est; in cujus testimonium liceat duas Pestium historias hîc loci proferre, quæ, utcunque cætera convenient, morum tamen (sensu medico) planè dissimilium fuere: Quarum prior est notissima illa Pestis Atheniensis à Thucydide descripta.

Tempore

(a) Pestis hæc exorta est apud Sinenses uti credebatur, anno 1346. unde per totam Asiam peragravit; postero anno in Africam usque penetravit, atque exinde in Siciliam navibus mercatoriis asportata est. In 1348. per reliquam Italiam, Hispaniam, & Galliam diffusa est. Sequenti anno, Angliam regionesque Septentrionales invasit. Per annos 9 aut 10, diversis in locis desævit, neque in 1386. prorsus extincta est. Testante Guidone de Cauliaco Medico tunc temporis Monspeffulensi, & Mezeraiio Historico, nulla unquam apparuit Pestis adeò mortifera, cum in aliis locis vicesimus, in aliis vix centesimus quisque relictus sit. Vid. *Dissert. sur l'origine des maladies epidemiques, & principalement sur l'origine de la Peste.* A Montpellier, 1721.



Tempore belli Peloponnesiaci sub æstatis initio erupit Athenis funestissima Pests, ab Æthiopiâ, uti credebatur, advecta. Hic annus (teste Thucydide) ex omnium consensu, fuit ab aliis quibuscunque morbis maximè immunis, & si alio quovis tunc temporis tenebatur quispiam, statim in pestilentialem hunc morbum desineret; quin & plenâ sanitate fruentibus, sine ullo instantis periculi inter-nuncio, subitò oboritur immanis capitis dolor; rubor & inflammatio oculorum, tum lingua faucesque cruentæ, & halitûs plane nidorosus ac intolerabilis fætor. Proin singultus fatigabat cum raucedine, aut pulmones magnâ cum tussi penè dilacerati sunt. Cumque in ventriculum laberetur malum, ibi vomitus biliosos, enormes ciere, turbare omnia. Cutis lividis subrubris pustulis scatebat; atque tanto intus ardore correpti sunt, ut ne vel tenuissimis vestimentis sese indui paterentur, quin statim ad puteos nudi decurrerent, ibique sese immergerent. Aberant omnino somni blandimenta, nihilque tam diro cruciatui inducias impetrari poterat, donec tandem mors, quasi miserorum precibus divicta, circa 7<sup>m</sup> 9<sup>mve</sup> diem, dolorum requiem præbuit: Aut si qui prædictum hoc tempus superfuerint, morbus tamen ad intestina devolutus, ibi exulcerationes gignet, & viribus nimiâ alvi fluxione corruentibus, haud pauci interiêre: Et qui adhuc superstites evaserunt, haud tamen sine precio membrorum genitalium, aut digitorum manuum pedumve vitam redemêre. Sic à capite ad extrema usque tanquam hostili ferro & igni peragratum est; & quod adhuc miseris gravissimum fuit, statim correptis summa aderat animi dejectio & desperatio, adeò ut Libitinæ victimas sese ultrò offerebant, absque ullâ spe mali illius amovendi. Nihil certi pollicita est medicina, aliis adjuvavit, offecit aliis, neque ulli temperamento vis morbi percipit, quin quemlibet, adhibito quocunque medicamento, è medio sustulit. Ita, densatis undique funeribus, læ-

ctum,

Pestis æthiopicæ descriptio.



ctum, trepidationem, flagitia summa, Deorum contemptum, (utpote quibus incassum toties supplicationes instituerant) promiscuè agere cives, nihil pensi moderatique habere, cum, Diis volentibus nolentibus, juxtà bonos omnes malosque communi strage hauriri viderint.

Talem in modum celeberrimam illam Atheniensem Pestem à Thucydide depictam accepimus, qui tunc temporis apud Athenas commoratus est, quæque ipse miserrima vidit.

Pestis  
quæ Con-  
stantino-  
poli fuit,  
A. D.  
543.

Alteram illam in Friendii historiâ invenimus à Procopio desumptam, quæ Constantinopoli, A. Dom. DXLIII. grassata est. Pestis hæc, uti perhibet, universum terrarum orbem perculit, & omnia hominum genera corripuit, utcunque diversæ naturæ & differentis essent habitus, neque ætati ulli neque temperamento parcens. Anno ab ejus ortu secundo, Constantinopoli, ubi tum Procopio esse contigit, circa ver medium apparuit. Plerosque Febris continuò invasit, neque tamen ulla vel coloris immutatio vel ardoris sensus aderat, nam usque ad vesperam adeò tenuis inhærebat febricula, ut neque æger, neque expulsu Medicus quicquam discriminis vereretur: Quibusdam verò eodem die, alios crastino, alios multo post, Bubo occupavit aut in inguine, aut in alis, aut ponè aurem, aut in alia parte. Hæc pariter omnibus symptomata contigerunt, quicunque morbo tentati sunt, sed & alia quoque in diversis diversa accesserunt; quosdam somnolentia & in stuporem propensio oppressit; alii mente graviter emoti sunt. Qui in stuporem ferebantur, eos omnium rerum cepit oblivio. Qui mentis alienatione laborabant, simulachris infestabantur, perpetuòque clamitabant homines adesse qui necem iis intentarent, atque ideò fugam capeffere moliebantur. Plurimi in aquam, plurimi in mare desiliebant, utcunque siti nullâ vexati. Quibusdam sine sopore aut mentis alienatione, Bubo in Gangrænam abiit,



abiit, hique sævissimo cum cruciatu animam expirabant: Propterea Medici quidam venenum fontemque morbi in pestilentibus his ulceribus delitescere suspicantes, cadavera mortuorum aperuerunt, atque ipsa ulcera perscrutantes (è tactu enim decumbentium vel mortuorum, uti prodit Historicus, neque Medicus neque alius quisquam contagionem suscepit) magnum intus reperere carbunculum. Quicumque corpus pustulis nigris distinctum haberent, ii intra primum diem fato cedebant. Multi, sanguine per vomitum effuso, peribant. Quibus ulcera ampla erant multumque humoris effundebant, ii ad sanitatem redierunt, siquidem hoc modo deferbuit carbunculi furor, atque id erat indicium sanitatis certissimum. Quibus verò ulcera in eodem ab initio statu permanebant, hi morte sunt abrepti. Constantinopoli Pestis hæc per quatuor menses in totum, perque horum tres maximo cum furore defæviit; adeò ut increfcente ejus violentiâ, 5, ac postremò supra 10,000 hominum in singulos dies rapta sunt. Nulla certa hujus morbi erat curatio; quidam ob optimis Medicis deplorati, inopinatò convaluerunt: Alii, de quorum sanitate non dubitaretur, subitâ morte perempti sunt. Nulla denique incolumitatis via apparebat, vel cavendo vel medendo affectui, cum in eo ignoraretur æquè & invasionis & decessiõnis caussa.

Ita sub fronte pacatâ inauditâ exarsit violentiâ; totque millia corripuit horribilis illa Byzantina Pestis, quam si cum Atheniensi conferas, ita toto, ut aiunt, cœlo ab invicem distare videntur, ut præter exanthematum eruptionem, paremque ferè hominum cædem, nihil amplius commune adgnoscent. Illa sc. furibunda in caput devotum fertur, & aperto Marte cum viribus ægri congregitur: Hæc sub specie pusillæ febriculæ excipit incautum, & cum omnia tuta sint, sese prodit, haud talia pollicita. Illa 7<sup>mo</sup> 9<sup>ve</sup> die ægrum iniquo certamine quassatum sternit: Hæc

Collatio  
duarum  
Pestium.



primis diebus misero dolorem & vitam abrumpit. Illa denique spretis glandularum diverticulis, per extrema corporis viam vi facit: Hæc in Bubones inguinales, aut axillares, aut parotides abit. Quæ cum ita sint, Pestique, non vultus, non color unus, sed variâ sub formâ deprehenditur; eam igitur definiendo capere atque ita figere ut semper præsentem adgnoscamus, res valdè exoptabilis fit: Cujus expediendi gratiâ, animadvertamus oportet sequentia.

Pestis  
Chara-  
cteres.

1mo. Pestis reverâ ex classe est Epidemicorum, sed inter alium quemvis Epidemicum & semet id videtur interponi discriminis, ut quanquam pari ægrotantium numero superbiant ambo, tamen alter altero longè mitior est & facilius cicuratur; cum in illo plurimi ad sanitatem redeunt, in hac vix decimus quisque ad minimum superesse solet.

2do. Pestis non ut cæteri quicunque morbi, harum regionum indigena est, aut sub insalubri æere prognata; sed, quantum observatione ferè perpetuâ compertum est, à plagis Orientalibus, aut exercitibus olim Europæis ibi afflatum pestiferum suscipientibus; aut hisce diebus crudo serico, gossypio, reliquisque id genus mercibus irretita advehitur: Fateor equidem alios quosdam morbos è regionibus longinquis in Europam jamdudum appulso fuisse, quales sunt Variolæ & Lues Venerea, sed neque hos morbos eodem, quo Pestis modo, gradum corripere constat, utpote qui intimiore aliquo cum incolis consortio à perigrinatoribus suscepti atque intra venas allapsi, cum domum reversis unâ asportantur, ibique iisdem modis propagati, aut sporadicè proveniunt, aut accedente æeris vitio, epidemicè grassantur, donec tandem ex traduce hisce regionibus assuescant: Haud eadem est Pestis ratio; illa enim naturâ longè mobilior, cum primum exeundi copia est; promptè emicat, æerem saluberrimum miris modis inquinat, omnes cujuscunque ætatis & temperiei homines aggreditur, & denique post funera cumulata fatiscit, & quasi absumpta evanescit, haud unquam redintegrandâ nisi ex illis, quibus primò



primò emanaverit, oris nova femina adferantur. Sed de hac fufius infra.

3<sup>to</sup>. Quanquam Pefium inter fe fe discrepantiæ, haud raræ conſpiciantur; tamen ea ſibi habent pleræque peculiaria, ut neque quoad tempus aut modum criſeôs cum cæteris morbis acutis conſentiant; quando hi enim circa 7, 9, 11, 14, aut ad ſummum vicesimum diem, per largos fudores, urinas, aut alvi fluxus, judicari ſolent: Illa è contrario, ſecundâ ferè ab invaſione die, ad partes corporis glanduloſas appulit, & in Bubones inguinales, axillares, aut Parotides, (heu dubio ſæpè omine!) faceſſit. Sed hoc pro re ſtabilitâ & nullis exceptionibus obnoxiâ haud accipi vellem, ſiquidem alias etiam Febres in Parotides nonnunquam ſolvi comperimus; & jam vidimus in Athenienſi Peſte nullum Bubonem aut Parotidem apparuiſſe, verum Gangrænâ ad extremitates corporis abortâ vim morbi exhauriri: Atque inſuper in ſæviffimâ illâ Peſte quæ Britanniam noſtram tribus abhinc ſæculis invaſit, eòque violentiæ proceſſit, ut ſcriptoribus exteris occaſionem mirandi dederit, unde in hâc Inſulâ tantæ ſtragi ſufficerent homines; in illâ, inquam, neque Bubones, neque maculæ purpureæ, neque Anthraces, neque aliud ferè quicquam cæteris Peſtibus commune reperièbatur; ſed protinus correpti fudore jugi diſfluebant, atque 24 horarum ſpatio moriebantur, unde nomen Sudoris Anglici adepta èſt: Hunc ego fudorem naturæ molimen eſſe arbitror quo Peſtis materiem è finibus ſuis exterminet; verùm ab ingruente morbo oppreſſa, nedum ad eum amoliendum viribus inſtructa, ſub duro victore labafcit; hinc edocti Medici, eam cardiâcis muniendo, ægrumque ſtragulis cooperièdo, inceptum naturæ opus ad felicem exitum perduxère, multosque è lethi faucibus eripuère.

4<sup>to</sup>. Hoc ſibi præ cæteris quibuſcunque acutis ferè vendicat Peſtis, ut, diſjectis dèrepentè viribus, (quod Malignitatem:

Pefium  
Characte-  
res.

Sudor  
Anglicus.



nitatem præsentem testatur) vibicibus subinde purpureis, lividis, præsentanei interitûs nunciis, conspersum ubique corpus deturpet. Aliis quidem Febribus hujusmodi ecchymata protrudere haud infrequens est, verum iis plerumque haud livor ille nigricans inest, qui vasculorum tonum deperditum, sanguinem fideratum, & res ægri in extremo esse monet.

Pestium  
Characte-  
res.

5to. Est etiam Pestis tali acrimoniâ sanguinem inficere, ut Carbunculi sive Anthraces variis in corporis partibus propullulent, atque ægrotantium carnes vivo quasi igni absumant, quorum imaginem à Willisio accipite: “ Carbunculus sive Anthrax, inquit ille, est tumor igneus cum pustulis circum se acerrimis & ardentissimis, doloreque acuto ægros infestans; qui variis in locis indiscriminatim emergens, minimè suppuratur, verùm latius in ambitum serpens, carnem exurit, ejusque corruptæ tandem labes excutit, & ulcus cavum velut escharotico inustum relinquit (a)”. Tantâ nimirum tamque acri salugine pollent humores, ut, instar aquæ Stygiæ, solida peredant, leni calore digeri & suppurari nescii: Hos quidem Carbunculos vulgaribus etiam Febribus in præcalidis terrarum plagis haud rarò supervenisse accepi; nec mirum, cum harum regionum pestilentia & ipsa alumnus est; eam enim calor nutrit fovetque, frigus enecat.

6to. Denique perenni ferè observatione compertum est, quod omnes quotquot morbi, aut sporadici aut epidemici, sub adventu Pestis cessant, &, quasi in fugam vertuntur, atque aër solito salubrior esse invenitur. Hoc testatur Thucydides in loco jam citato; hoc Sydenhamus in Peste Londinensi palam facit, his sc. verbis usus. “ Neque vero nullius momenti est illum ipsum annum tot millium strage funestum, alioquin mitissimum ac saluberrimum extitisse,

(a) Will. de Feb. p. 152.



“titisse, omnesque qui à Peste immunes perstiterunt nun-  
 “quam meliori valetudine usos fuisse, quin & eos qui ab  
 “eâdem convaluissent, cachexiæ aliisque affectibus à resi-  
 “duâ priorum morborum labe provenire solitis, non magis  
 “obnoxios deinceps vixisse (a)”. Hoc etiam Sennertus  
 comprobat, dum talibus inquit: “Etenim primò Pestilen-  
 “tiâ grassante, quod quinquies dum hîc Wittembergæ  
 “medicinam profiteor & facio, hîc accidit, hoc inter alia  
 “observavi quod alii morbi sporadici & benigni, Peste  
 “grassante, omnes ferè silent, immò qui præcesserunt Epi-  
 “demici cessant (b)”. Tali pompâ ingreditur terribilis ille  
 humani generis Extinctor, qui suâ mole stans, propriisque  
 viribus fretus, cæterorum morborum satellitia respuit, &  
 solus tanto excidio sufficit.

Quibus omnibus ritè perpensis, Pestem hoc modo de-  
 finire aggrediamur. Pestilentia est morbus malignus epi-  
 demicus, à miasmate venenato plagis Orientalibus adve-  
 cto ortus; summâ decumbentium subitâque debilitate, &  
 ingenti hominum interitu semper; sæpius eruptione cuta-  
 nea; nonnunquam sudore gravi; aliàs Gangrænâ sese ma-  
 nifestans. Quæ definitio omnia quotquot Pestium genera  
 complectitur, neque ullam quamquam aut audiendo aut  
 legendo accepi, cui non plura pauciorave hîc posita signa  
 conveniant.

Pestis  
 Definitio.

Nunc ad Pestem intimius investigandam propero. Et  
 constat primò Pestis materiam æeri, tanquam vehiculo,  
 committi, ejusque ope ad corpora humana applicari;  
 neque Elementum illud, utut heterogeneum, ex diversa-  
 rum suarum particularum miscelâ quadam determinatâ,  
 aut alio quovis modo, hoc *μιασμα*, sive labem pestife-  
 ram, ex se conficere posse, sicut alios morbos progignet;  
 aliter enim, Quî fit ut in Piræo vicino tamdiu desæviat Pe-

Ær Pestis  
 vehicu-  
 lum.

Non au-  
 tem gene-  
 trix.

E

stis

(a) Syden. Op. p. 113. Edit. Lugd. Bat. (b) Sennert. Op. T. 2. p. 138.



stis antequam Athenas invisat? Idemque aliis in locis obtinuit, quemadmodum (uti asserit Sydenhamus) “ non antè multos annos pesti per universam ferè Italiam immaniter grassanti, Magni Ducis cura atque prudentia aditum in Hetruriæ fines penitus interclusit (a). ” Absurdum igitur est supponere atmosphæram totius circumcirca regionis suoapte ingenio in constitutionem λοιμωδην descivisse, atque illam unius ferè in medio Ducatûs, à communi hoc statu abhorruisse. Quin, ex Medicorum omnium atque Historicorum observatione haud fallaci, atque Magistratum cautelâ exinde susceptâ, patet alienum quid in æera emergere, obvio misero impingere, dein per contagium sporadicè tradi, postremò, funeribus crescentibus, vires acquirere, atque in immensum penè augeri. Talem sui originem & progressum omnes ferè Pestes Europæi præbent, cum vix ulla unquam in hac orbis terrarum parte apparuit, quæ non aliunde advecta fuit, aut bello olim cum populis exteris gesto, aut mercibus ab Oriente asportatis (b).

2do. Μιασμα hoc sive Inquinamentum (qualiquali demum nomine vocetur quod Pestem constituit) quanquam  
ita.

(a) Syden. Op. p. 109.

(b) Magna illa Pestis quæ Romanum Imperium, A. D. 166. sub M. Aurelio & L. Vero, divexavit, consentientibus omnibus Historicis, ab Oriente asportata est, sc. cùm rediret Imperator Verus ab expeditione sua contra Parthos. Atque illa quæ sub Gallo & Volusiano Imperatoribus, A. D. 252 & 253. tantam stragem edidit, eodem consensu Historicorum tunc temporis, in Ethiopiâ primò caput suum extulit, atque exinde per Romanum Imperium diffusa est. De magna Peste in 1348. jam dictum est suprâ. Sævissima illa Pestis quæ Sudoris Anglici nomine famosa est, in obsidione Rhodorum, quando res cum Turcis gerebatur, à militibus Christianis suscepta, in Europam exinde migravit. Pestis nupera Massiliensis videtur illic asportatum fuisse à navi quadam quæ ad Tripolim Syriæ urbem appulsa est, ubi tunc temporis ex confesso grassabatur. Neque non verisimile est Pestem Londinensem eò advectam fuisse à navibus mercatoriiis, quanquam de origine ejus variè dictum est. Denique, quoad hodiernam Pestem quæ apud Messinam etiamnum furit, benè notum est, quòd serico aliisque id genus mercibus impedita à Constantinopoli eò advehebatur.



ita tenue & instar fulguris præpes sit, ut humanam investigationem prorsus ludere videatur; tamen sui quædam indicia intuenti haud obscura prodit, veluti si cuidam inter tenebras versanti per rimam desuper affulgeat jubar. Id igitur quod omnes olim crediderunt haud Naturam ex suo penu deprompsisse, verùm à Diis immortalibus immediatè promanasse, ut humana scelera tanquam flagello cœreantur, ex effectibus suis comperimus esse perquam subtile, penetrabile, & salem alkalicum ad summum acridinis gradum, quantum Chemia valet, evectum, quamproximè referre. Hoc docet acrimonia sanguini à veneno pestifero impressa, unde Anthracum generatio, horum salium vis caustici æmula. Hoc etiam indicat cadaverum infepultorum fætor qui Pesti maximam vim subdit, cùm sc. à corruptione proveniat salium alkaliorum volatilium ingens copia, atque æeri admisceatur; cui suffragatur Cl. van Swieten in commentariis suis ad Boerhavii Aphorismos, his verbis disertis: “ Observatum sæpius fuit Febres putridas epidemicè grassantes, immò & Pestem ipsam fortissimos quosque invasisse: Debiles, senes, chronicis morbis laborantes, mansisse immunes. Quippe in prioribus boni sanguinis abundantia, calor magnus, robusta vasa & viscera efficiunt ut omnia ingesta citissimè in animale naturam degenerent, i. e. in putredinem sponte inclinent(a).” Hoc ulterius monet salium oppositorum contra Pestem efficaciam, siquidem ad venenum λοιμικον domandum nihil potentius reperitur aceto vulgari, acido sulphureo, & similibus. Sed quod adhuc majoris momenti est; subita illa massæ sanguinæ disruptio, atque humorum crasis dissolutio (unde vibices purpureæ instantis lethi nuncii, unde & halitûs fætor in Peste Atticâ adeò insignis) ferè extra dubium ponunt quod venenum pestiferum aut ex alkaliorum familia

Pestis  
materia  
sali alkalicò  
similis.  
Probatio.

(a) Van Swiet. Comm. ad Boer. Aphor. sub morb. spont. alkal. p. 130.



Num Pests fit à corruptione.

Opinio quod Pests alicubi semper existit.

familia prodeat, aut aliquid his salibus per simillimum sit ; cum nihil, exceptis mercurialibus, sanguinem æquè potenter diffringit comminuitque, ac solet alcali sive fixum sit seu volatile. En tandem, quam quærebat, causa sanguinem exolvens, quâ in ichorosam laticem faceffat, atque errore viarum in loca aliena evagatus, cum tono solidorum labefactato cœeat ad obstructions propemodum universales conficiendas, unde emergunt symptomata, Malignitatis vera ac genuina proles (a). Quomodo gignatur atque in lucem prodeat virus hocce pestiferum, alkaliforme ( si ita fas sit loqui ) haudquaquam expedire licet, siquidem nihil super hac re certi affirmare datum est ; cum verò in Oriente primas sedes ponere, atque exinde proficisci adgnoscat, ideò credunt nonnulli quod ibi ab insigniori aliquâ corruptione enascitur : Solis enim ardor in illis terrarum plagis intensior utique & efferatior, res corruptibiles in ferociorem acrimoniam evexerit, quàm quidem in hisce regionibus potest : Hinc post diurnam Nili inundantis stagnationem, Pestem sæpius in Ægypto excitari ferunt ; & fortasse eadem causa quæ in Europâ Febres malignas accendere valeat, ibi Pestem ipsam ciere apta nata sit. Sunt autem quibus displicet hoc omne, & contrà nituntur Pestem nullibi generari, sed alicubi semper existentem, & accedentibus aliis circumstantiis, in actum evocari, dein per fomitem, aut pestiferi alicujus appulsus in loca aliena transferri : Atque ut huic opinioni concilietur fides, rationem haud ineptam sanè adducunt, cur Pests Constantino- poli ferè semper grassetur : Nempè annuæ ad Meccam religionis ergò peregrinationes efficiunt ut ingens hominum vis ab omnibus Asiæ partibus, quæ Turcarum imperio subjugantur, eò confluat ; unde susceptum per contagium *μιασμα* cum redeuntibus ad urbem continuò pervenit.

Utut

(a) Vide suprâ, p. 9.



Utut se res habeat, hoc certò novimus, fatali experientia edocti, Pestem per multos annos integros, salvo ejus vigore, delituisse, aut mercibus obvoluta, aut in conclavi aliquò hærens; quò pertinet memorabile illud apud Jul. Capitolinum, qui perhibet in Babylonia quandam miræ vetustatis arcam adaperitam fuisse, à quâ tam perniciosus halitus expiravit, ut Pestis inde ad Parthos usque dimanavit (a). Ita quod de cæteris morbis fingunt Poëtæ, de hac Lue quodammodo affirmari potest; utpote quæ à fatali pyxide (heu temerè nimis referatâ!) erumpens, sub auras effunditur, vitale illud fluidum miris modis contaminat, & à clade frequentiore tanquam Furiarum maxima grandescit.

Subtilitas porrò ac penetrabilitas hujusce *μιασματος* ex eo conficiuntur, quod rerum ex improvise potitur, succisique ante tempus viribus, per corporis solida, per fluida cuncta fertur hæc dira Lues, neque resistitur ejus furori; atque ut disertè Sydenhamus: “Quæ fulgetri instar trajicit humanum corpus, humorumque crasin summâ cum violentiâ diffringit, eorumque particulas spirituosiores in auras difflat.” Quin & ipsa scriptorum qui de Peste tractarunt consentiens observatio, cujus antea memini (b), quæ prodit sub adventu Pestis ærem solito salubriorem esse, omnesque alios morbos aut in eam desinere, aut omninò fugari; hæc, inquam, observatio *μιασματι* subtili ac penetrabili fortasse faveret, quippe si humidis scateat, atque vaporibus frigidis, inertibus nimium gravescat æer, eumque statum nanciscatur, quem cæteris morbis exsuscitandis aptum fore proclamat Hippocrates, permeabilis hujusce veneni pestiferi obtunderetur acies.

Pestis materia subtilis ac penetrabilis.

Hactenus circa pestilentielle virus hallucinari datur, ultra tendere nefas est. Quis enim hujusce stimuli naturam  
F. speci-

(a) Loc. apud Sennert. citat. v. 2. p. 143.

(b) Vid. suprâ, p. 17.



Natura  
Pestis spe-  
cifica.

Aliorum  
veneno-  
rum nat.  
spec.

specificam explicare in se suscipiet? Quis ostendet cur eadem Pestis quæ hominibus funestissima sit ne unum quidem bovem feriat; & ex adverso, cum Pestis bovina per Europam grassaretur, ne vel levissimâ ejus labe inquinati sunt homines, etiam ii qui infectorum carnibus vescerentur? Haud inficias eo quin dentur & alia haud pauca venena quæ specificâ quasi indole gaudent, atque hujus generis animantibus lethifera, illi eadem generi innoxia reperiuntur: Ita venenum variolosum hominibus adeò inimicum, ut vix centesimum quemque intactum relinquat, ne belluas quidem vel infitione factâ inficere queat. Atque inter venena regni vegetabilis benè cognita, quædam invenimus vi speciali dotata, & quæ hominibus nocent hæc eadem belluas haud attingunt, & vice versâ: Neque hîc subsistitur; sed & venena sunt quæ uni animantium speciei infestabunt, alteri haud itidem nocitura; quâ de re consulatur oportet Cl. Wepferus in cicuta suâ aquaticâ. Hinc patet & Pestem & alia quoque venena, præter manifestiores agendi modos, etiam quiddam in se continere ineffabile, atque humano ingenio haudquaquam expediendum; eadem enim est analysis, eadem sunt principia sanguinis humani & belluini, Et quæ potest deinde esse ratio, cur præfata venena non utrumque simul indiscriminatim inficerent, sed huic promptè misceant, illi nubere abnuant?

Timor  
Pestis vim  
maximè  
adauger.

Antequam *μασματος* hujus pestilentialis naturam dimittam, meminisse tantum sufficiat quod ex Auctorum omnium ad unum consensu abundè liquet, nihil ad Pestem suscipiendam, aut deleteriam susceptæ virtutem intendendam, præsentius esse Timore; adeò ut hominem meticulosum longè certius corripiet Pestis quàm Timore carentem, immò ad Pestem amoliendam animus audax atque intrepidus ferè omnibus, exceptâ fugâ, palmam præripit. Neque dubitarunt ponere nonnulli Timorem uti præcipuam ex  
caussis



cauffis quare populariter adeò bacchetur, totidemque invadat Pectis: Quibus equidem ex parte fuffragor: Metu enim humores retrogradi cùm fint, fecum unà abripiunt venenum peftiferum atque ad interiora nobilia fiſtunt: Atque infuper mole fanguinis retropulſi oppreſſis vaſis & corde ipſo, minuuntur vires; & ſic Peſtis ipſius quodammodo munus obit Timor.

3tio. Inveſtigatâ demum, quantum licuit ex rei caligine, *μιασματός* hujus peſtiferi naturâ, vix jam immorari opus eſt ex eo quod hic morbus ſit verè inflammatorius; id enim ſymptomata ferè cuncta proclamant: In Peſte Atticâ jam ſumma aderat fanguinis phlogofis, cum oculorum rubedinem, inflammationem linguæ, faucesque cruentas à Thucydide depicta accepimus (a). In Byzantinâ, Bubones in Gangrænam abeuntes, Carbunculos, &c. (b). Quibus adjicit Sydenhamus in Londinenſi, “Detraçti fanguinis colorem, qui Pleuriticorum ac Rheumatismo laborantium fanguinem planè æmulatur.” Neque in cruore tantum vaſisque majuſculis figitur hæc inflammatio, quin & ultra penetrat, laticemque tenuioremprehendit, ſi modo per ſubitam Bubonum & Parotidum eruptionem; vaſculorum primò ſeroſorum oppletionem, dein ſuppurationem, poſtea Metaſtaſin in hæc loca factam credere fas ſit. At forſan hîc objiciat aliquis, Peſtem haud fanguinem inflammando, verum alio quodam modo vitam neceſſariò extinguerè, ex eo quod plures in plateis obambulantes, àbſque ullo præſentis Febris ſigno, ſubitò correpti interiêre; atque ita Sennertus (ſi benè mimini) eâ in hæreſi fuit, quod ſine Febre Peſtilentia ſuum opus abſolvere poſſet. Reſpondeo. Tantum abeſſe ut hic ſubitaneus quorundam Peſte correptorum interitus contra inflammationem faciat, ut eidem potius maximè patrocinetur, ſiquidem

Peſtis morbus inflammatorius.

Inflammatio altius adacta conj. et. probab.

Objeçtio. contra Inſlam.

Reſponſio.

(a) Vid. ſuprà, p. 11.

(b) Vid. ſuprà, p. 12, 13.



dem tenera cerebri vascula sanguine non suo referta esse testatur, & nullus dubito quin aperta cadavera tali morte peremptorum hoc manifestum facerent; cùm jam ex *ανατομή* factâ, tempore Pestis Massiliensis & Provincialis, (uti supra dictum est) ita se res profectò habuit. Quoad Febris in his casibus absentiam non habeo dicere, hoc tantum efflagitare velim, num pro certo habent nullam Febrem præcessisse? Id quod eos, salvâ fide, haud asseverare censeo; siquidem nullam nisi leviusculam inflammationem intelligere possum; quæ non Febrim arcesseret; potest tamen incipiens Febris ab occlusâ vitæ scaturigine, i. e. cerebri vasculis obturatis facilè præfocari.

**Curatio.** Verum in hujusmodi disceptationibus, parum profuturis, sat temporis attrivimus, sat Pestis naturæ causisq; datum est. Jamque ejus *θεραπεύειν* aggrediamur oportet.

**Prophylactica.** Prophylaxis circa duas res versatur; prior exigit ut absque morâ è loco infecto fugiamus, ne aër jam venenatus, inspiratione ductus, labem pestiferam internis visceribus adigat; aut à decumbentibus susciperetur contagium, sicut & in aliis nonnullis Febribus fieri consuevit, isque modus tutissimus est, ut in versiculo,

*Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.*

**Herbæ acres amaricantes.** Cùm res angusta domi, benevolentia erga suos, aliæve benè multæ circumstantiæ fugam impediunt; tum posterior locum habet; & sagax observatio atque experientia Medicorum ab omni ævo illustrium docet, ad Pestem amolendam haudquaquam inepta esse quæ saporis acris, amaricantis, odorisque gravis sunt; quæque aciditate pollent: Hinc ruta, scordium, juniperus, angelica, nicotianum, &c. & quædam ex gummiolentibus; quorum alia sub variis mi-  
stim



stim formulis hausta aut deglutita, alia masticata, alia naribus admota, contra pestilentielle contagium proficua esse comperiuntur. Primas autem tenent liquores acidi, ut acetum ipsum, succus citrorum, & vitriolica, annuentibus ferè omnibus Aucto-  
Liquores  
acidi.
  
 ribus Aucto-  
 ribus qui Pesti ipsi interfuerant, vitamque suam communi civium saluti posthabuere; uti Forrestus, Diemerbroekius, Mercurialis, Mindererus, aliique; quorum primi testimonium accipite: “Ego cum, grassante Peste, nusquam trepidè, plenus civium studio me ad ægros con-  
 “ferrem, illis auxiliis ac potissimum mali citrii putamine  
 “succulento me munire suevi (a).” Et Mindererus de Peste, Cap. XV. hæc habet: “Sanè, ut liberrimè loquar, si mihi  
 “vitriolicorum remediorum usus interdiceretur, ego ad curationem Pestis nunquam, vel certè inermis accederem”.  
 Et de Turcis ferunt quod apud eos usitatum sit, vigente pestilentia, succum limonum jusculis infundere, hujus prophylactici vires creberrimè experientia edocti. Num virus pestiferum eodem modo subigant atque enervent acida, quo salium alkaliorum vim, nimia esset arrogantia affirmare, quantumvis sententia hæc non temerè adeò suscepta esse videatur (b).  
Vinum.
  
 Quin & Vinum generosum haud mediocre contra Pestis susceptionem auxilium præbet; si quidem duobus hujus cyathis singulo manè ingurgitatis, dein naribus atque labiis aceto in spongia contento madefactis, impunè per mille ægrotantes obivit Diemerbroekius, hoc sui exemplo præceptis suis fidem faciens. Et Vinum profectò hujus Luis egregium prophylacticum ex eo existimandum est; quod animum addat, metumque depellat, qui, uti antea ostendimus, inter præcipuas causas recensetur, cur Pestis adeò violenter exarserit, tantamque hominum vim corripuerit (c), non secus ac super alià occasione cum Gigantem ex Homunculo faciat.

G

Plurimas

(a) Loc. apud Hoffm. cir. *Med. Syst. Rat.* Vol. IV. p. 292. (b) Vid. supra, p. 19, 20. (c) Vid. p. 23.



Plurimas horum prophylacticorum formulas conrasit Sennertus, in quibus ita diu immoratur, ut eas dinumerare molestum sit, quæ tamen prædicta medicamenta probasi recipiunt omnia, adjectis forsan pauculis ex aromaticis.

Fonticu-  
li.

Sunt & externa quoque adversus Pestem propugnacula, nempe Fonticuli, qui tanto in honore habentur, ut eorum laudes satis prædicari nequeant, si fides adhibeatur iis, qui inter summa discrimina versantes, effectus salutiferos comprobârunt. Inprimis Hildanus prodit: “Se, in acutissi-  
“ma Peste Lausanensi, ubi ex 100 ægris vix 16 evasê-  
“runt, beneficio Fonticulorum in brachio sinistro & po-  
“plite dextro gestorum, servatum fuisse; & nimirum ex  
“iis qui Fonticulos gerebant, Peste correptos vel eâ occu-  
“buisse, præter unum vel alterum summè Cacochymicum”. Diemerbroekius: “Insignem Fonticulorum in Peste utilita-  
“tem multoties vidimus”. Et Hieronymus Mercurialis: “Possum testari me innumeros Peste extinctos vidisse, nec  
“unquam vidisse quenquam, qui cauterium haberet, præter  
“unum tantum, atque is erat Sacerdos. Interrogavi etiam  
“de hac re multos Medicos, qui testati sunt neminem se  
“vidisse (a).” En Medicorum de Fonticulis haud vana testimonia, atque eâ quidem fiducia prolata, quæ Practicos solum decet! Ita Fonticulorum ope venenum pestilentiale, si modo corporis interiora subiverit, quasi portâ apertâ continuò ejici credendum est, antequam viscera læserit; quam vehementer suspicor num Peste jam correptis aliquid boni præstarent Fonticuli; sc. nimis velox atque efrænata est hæc Lues, aliique etiam morbi acuti dicti, ne methodo adeò lentâ cicurentur, quæ chronicis magis quadrat.

Hucusque de Prophylaxi. Ventum est nunc ad mendendi indicationes, ubi fallax admodum & versatile hujus Luis

(a) Loc. apud Hoffm. citat. *Med. Syst. Rat.* Vol. II. p. 210.



Luis ingenium vix satis fidas esse sinit: Quorum enim operiare benignam Bubonum aut Parotidum suppurationem, cum toties ex improvise dispareant, Medicique spem ludant? Quorum alexipharmacis atque sudoriferis utaris, cum eo modo sanguinis calorem atque acrimoniam ita intendas, ut non rarò Gangrænæ erumpant? Quid agat Medicus in tantâ rerum incertitudine, aut quo se vertet? Quantâ laborat in Charybdi? Haud tamen abjicienda spes est: Quin oritur præcipua, si non unica, indicatio ab electione duorum alterutrius perito Artifici satis obviorum; num sc. (ut in cæteris acutis obtinet) Naturæ hîc famulari oporteat, ejusque *βοπήν* expectare, & fatiscenti paullulum opitulari? An potius rem è Naturæ manibus ereptam nostro consilio geramus, Naturæque minimè auscultemus? Quæ si per se satis valeret ad oppugnandum morbum, suoque Marte sufficeret ad eum per quæcunque velit emunctoria exterminandum; tum huic absque ullâ dubitatione parendum est, atque etiam titubanti roborantibus undique subveniendum: Sin vero, ut in plerisque Pestibus fieri consuevit, vi morbi insidiatoris oppressa jacet, & repentino insultui impar Natura nil contrâ moliri queat, sed irritos tantum conatus edat, instar Enceladi, apud poëtam, sub Ætneo pondere ægrè luctantis; tunc fanè Naturæ ut calamo fracto haudquaquam fidere, verùm aliis rebus studere, viamque diversam carpere oportet. Haud tamen in omni Peste subinde relinquenda est Natura, quin dantur nonnullæ quæ ejus vestigia premere suadent, nec ab eâ quidquam discedere. Sic in Peste illâ Anglicanâ Sudoriferâ dictâ, Sudores à Naturâ, usque ab invasione primâ, impensivè protrusi, efflagitant ut in iisdem, sub idoneo regimine, continuandis ars salutifera versetur. Sic & in Peste Atticâ, Natura haud ita infracta esse videbatur ut eam desereremus; siquidem ad usque 7<sup>m</sup> 9<sup>mve</sup> diem duraret, quod longior est mora quam quæ per multos acutos conceditur. Sic

Indic.  
Curat.

Utr. naturam sequi oportet.

Negatur.

Exceptions.

& in



& in cæteris Pestibus sunt qui ita firmo temperamento vigent, ut absque ullo artis adjumento spontè convalescant; his si Naturæ opus interturbares, atque artem officiosam ingereres, nec boni Medici, nec viri honesti munus præstares.

Curatio  
generalis  
per gran-  
dem Eva-  
cuatio-  
nem ten-  
tenda.

Verum hæc non nisi rara sunt, & à generali Pestium consuetudine abnormia; parum enim per seipsam hîc valere Naturam testantur tot tantaque infectorum funera. Ita astutiâ plerumque dolisque instructus est hic princeps morborum, ut tum maximè extimescendus est cùm minimè videtur; & cui frons explicata est in summo rerum discrimine, uti ex prægressis abundè patet. Quis locus est igitur credendi Naturam insidiis undique cinctam? Cur invalidæ committantur habenæ? Quin audacter aliquid necessariò aggrediendum est, perque tramites Naturæ jam impervios quærenda est sanatio. Quomodo struatur hæc methodus, ex attentâ Naturæ magistræ observatione ediscendum est; illa enim Archiatrix, ubi cum grandi aliquo morbo luctetur, grandem semper Evacuationem instituit: Ita in Variolis, quo pejoris sint moris, majoremque inflammationem capiant, eò major abscessulorum copia, atque insignis insuper per sputa humorum excretio. Ita in aliis morbis acutioribus, quanta sudorum aut urinarum profluvia! quanta alvi dejectio! quanta per nares hæmorrhagia! Jam cùm iniquis viribus cedere coacta, nihil ipsa machinari queat, hoc sui exemplo hortari videtur Natura, ut, ejus loco succedentes, telis suis hostem feriamus, atque Evacuationem vicariam substituamus, quæ tamen largior futura est, prout morbus hic cæteris immanitate & violentiâ antecedit.

Quatuor  
per artem  
Evacuatio-  
nes.

Quatuor ingentes penes artem sunt Evacuationes, quæ ideò Cardinales appellari merentur; nimirum, Purgatio *αρω* & *κατω*, Ptyalismus, Sudores, Vænesectio: Quæ singulæ ex se valent omnes humorum species projicere, corpusque



pusque exsuccum reddere. (Vix quidem cum hisce Diuresin annumerandam esse censeo; etsi enim largâ satis per vias uriniferas Evacuatione quidam morbi crifim suam absolvant; tamen huic haud omninò fidendum est, neque enim adeò certam hîc & copiosâ Evacuationem, ac rei importunitas postulat, diuretica polliceri queant.) Quærendum est igitur, quænam ex his, nostris inpræsentiarum usibus aptior sit.

Haudquaquam periculo caret, quanquam cætera adrideat, alvina Purgatio, acria enim medicamenta, quæ hîc exiguntur, juncta cum insigni acrimoniâ sanguini à morbo impressâ, adeò ventriculum & intestina simul laceffant, ut inflammatio lethalis ibi facilè accendatur; atque ita hæc Evacuatio, vice morbi exterminandi, mortem ipsa, si non præmaturam, at saltem sæviorem afferat.

*Imo. Purgatio.*

Quoad Ptyalismum, nihil in rerum naturâ novimus ei suscitando æquè efficax ac mercurium, sc. ut tanta sputorum copia effluat, quanta morborum contumacissimorum solutioni par sit; neque inepta foret hæc Evacuatio, nisi duæ res haud facilè superandæ obstarent; altera, quod morbus noster instar Achillis apud poëtam,

*2do. Ptyalismus.*

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer.*

Nunquam inducias concedet ad Sputationem proliciendam necessarias, siquidem biduum triduumve huic insumendum requiritur: Altera, quæ majoris adhuc momenti est, nempè Hydrargyrosin ipsam cum morbo consentire videri, ejusque vim intendere, ex eo quod sanguinem in ichorosam tenuitatem solvat. Sit ergo sua apud Chronicos Hydrargyrosi provincia, (ubi plurimum quidem valet) ne ultra tendere audeat, & cum acutissimis temerè congregiatur.

H

Insequitur



3tio. Sudatio.

In Peste ab omnibus Practicis adhibita.

Insequitur Sudatio, quæ eo nomine sese infert, quod per illam Natura morbos acutissimos malignosque toties dijudicare soleat; hinc in Febribus malè moratis, & quarum ingenium non satis cognitum est, ad medicamenta sudorifera, quasi unicam in re dubiâ salutis spem, confugere Medici, iisque solummodo incubuere; nec perperam, tum quia si quid alienum sanguini admiscetur, novasque in corpore turbas cieat, docet ratio hâc methodo promptissimè auferri, tum quod rei veritatem faustus sæpè comprobavit eventus. Atque in Peste hanc Evacuationem ab omnibus Practicis pro summo remedio institutam accepimus, quæ votis ut plurimum respondebat quoties largiorem diuturnioremque sollicitârint; verum plerique hanc ita timidè gelidèque ministravere, ut morbi magnitudini omninò impar sit, veriti nimirum ne collabascat Natura, cùm rem ex ejus manibus eripi debere suprâ ostendimus. Sed neque huic sua defunt incommoda: Dixi incommoda? immò pericula summa; quum enim medicamenta Sudoribus proliciendis dicata à scopo suo aberrant, humoresque per cutim exprimere nequeant, (uti hominibus plerumque ficci rigidique temperamenti fieri consuevit) quanto miser incendio torretur! quantum olei flammis affunditur! sic & in Atheniensi Peste, si per Sudores *ἑραπειαν* absolvere fatagas, ægrotantem in majores æstus conjiceres, cum jam tanto intus ardore flagrat, ut vitam quavis morte crudeliorem pateretur.

4to. Sanguinis Missio.

Restat una tantum earum, quæ ab arte fiunt, grandium Evacuationum species, nempè Vænesectio, quæ plerisque Aucto-ribus systematicis damnosa hîc & inutilis audit, non aliam ob causam, quàm quod vires imminuat, Naturamque officio suo fungi inhabilem, morboque exterminando ineptam reddit; ideòque Phlebotomiam vel omninò omit- tendam, vel parcâ saltem manu, prout res exigat, celebrandam esse volunt. Verùm ratio non auctoritas apud homines



homines cordatos valere debet, & jam huic eorum argumento obviam itum est. Proin expendamus quid de largis in genere Evacuationibus, & præcipuè de Vænesectione cenferunt veteres. Hippocrates in § 1. Aph. 23. hujusmodi verbis utitur: Τὰ χύρροντα, &c. “ Quæ prodeunt, non copiâ sunt æstimanda, sed si prodeant qualia oportet, & facilè ferat. Et ubi ad animi deliquium ducere oportet, hoc etiam faciendum si æger sufficiat.” Et Galenus hunc explicans Aphorismum, ubi de Evacuationibus agitur, & quidem ad animi deliquium usque; talem Evacuationem (i. e. sanguinis Missionem) laudat “ in Febris ardentissimis, in maximis inflammationibus, & vehementissimis doloribus (a).” Et alibi: “ Ubi ferventis sanguinis inest plenitudo acutissimam accendens Febrim, subito ac simul evacuare expedit; eamque innire tentandum vel ad animi deliquium usque, virium modò inspecto robore (b).” Quantam autem efficaciam habent hæ Evacuationes in solvendis obstructionibus docent ejusdem observata: Nempè, “ Monitus per informa Galenus, juvenis adhuc, sibi ipsi dissecuit dextræ manus arteriam inter indicem digitum & pollicem sitam; permisit sanguinem effluere, donec spontè sisteretur, (sic enim somnium præceperat) & subito diuturnus dolor extinctus est in illâ maximè parte fixus, quâ jecur diaphragmati committitur. Alii homini per vulnus in maleolo inflictum vulnerata fuit arteria, nec quievit Hæmorrhagia donec Galenus vocatus arteriam dissecaret; sed huic homini quarto jam anno molestus coxæ dolor infanatus fuit (c).” Et in Friendii Historiâ, Inflammatio & abscessus Mediastini ab Avenzoare descriptus memoratur, qui sibi ipsi in itinere supervenit. “ Ubi primò tenta-

Opinio-  
nes veterum de largâ Phlebotomiâ.

(a) Gal. Comment in Aph. Hippoc. Charter. Tom. ix. p. 40. (b) Gal. De curandi ratione per Vænesectionem, Cap. 12. Charter. Tom. x. p. 441, 442. (c) Gal. ubi supra, p. 451. Loc. à Van Swiet. Comm. citat.



“tentatus est, doloris aliquantulum in eo loco perſenſit, qui  
 “cum tuſſi increvit; pulſûs unâ aderat durities cum Febre  
 “acutiſſimâ. Quartâ nocte libram ſanguinis detraxit, ex  
 “quo ſymptomata haud ita multum levata ſunt. Proxi-  
 “mo die cùm iter faceret, noctu in ſoporem decidit, quo  
 “tempore ſaſciâ de brachio lapſâ, è ſomno experrectus  
 “lectum ſanguine undantem, viresque multum imminutas  
 “deprehendit. Inſequenti die ſaniei aliquid expectorare  
 “cæpit, quare aquam hordei largâ quantitate hauſit, ſed  
 “curationem ingenti ſanguinis fluxioni tribuit (a).”

Curatio.

Plura proferre ſupervacaneum ſit, quum ex his ſatis e-  
 luceſcat veterum de largiore ſanguinis Miſſione ſententia,  
 quamnam ſc. ejus rationem habuère in Febribus acutiſſi-  
 mis, in obſtructionibus tam diuturnis quàm recentibus  
 ſolvendis. Verùm in Peſte aut de eâ omninò ſilent, aut  
 damnôſæ praxeôs argumento habent, aut ſaltem in regi-  
 mine prophylactico, prout fert proprium cujuſque tempe-  
 ramentum, parciùs injungunt; & quidem manifeſtâ ſatis  
 cauſâ forſan adducti; nimirum re ipſâ comperirent ſaga-  
 ciſſimi hi Mortales, quod ſi ad unam, duas, vel etiam  
 tres libras detrahatur ſanguis, nihil levaminis exinde ori-  
 turum, quin è contrario omnia in pejus ruitura eſſe; at-  
 que id dehinc Evacuationi ipſi vitio vertatur, quod rei  
 malè geſtæ tribui debeat; quemadmodum Natura, re in-  
 ſectâ, haud tempeſtivè infirmatur, & morbo importuno,  
 quem largior Phlebotomia debellaverit, jam cedere neceſſè  
 eſt. Sed, per Deûm atque hominum fidem! nonne vi-  
 dimus ingentem ſanguinis fluxum, ad animi deliquium uf-  
 que, Febres ardentiffimas atque obſtructiones penè omni-  
 genas extra aleam conſtituiſſe. An igitur huic máximo  
 morborum par copia conveniat? Minimè. Quippe ſi ita  
 ſit, idem effeceris ac ſi homini Adulto atque Infanti æqua-  
 lem

(a) Friend. *Hiſt. Med. ad Avenzoarem.*



lem Evacuationem pro morbo aliquo tollendo institueris. Quin plenior adhucdum Vænesectionem hîc fuadet ratio, ( quâ solâ humanum animum regi fas est ) sed tamen partitis vicibus, ne ex magnâ nimis subitaque *κενεδύγγεια* mors pro Lipothymiâ occupet. Hæc summa est, aut audendum aliquid aut pereundum.

Per largam vena  
sectionem.

Sed ne conceptæ hypothesi nimium favere videar, testor experientiam permagni imprimis Sydenhami ; neque grati animi aut hominis honesti partes explerem, nisi palam profitear, me, quicquid in eâ per largam Vænesectionem curatione est, ex hac fonte hausisse. Ille nimirum sub finem Pestis Londinensis, quando sibi ad urbem redire licuit, hac largiore Phlebotomiâ, ut ad quatuor plus minus libras assurgat, tali cum successu usus est, ut eorum quos ita tractaverat ferè nemo moreretur: Atque hæc insuper refert tam mira, quam ex fide atque probitate ejus, à quo narrata acceperat, indubia: viz. “ Tempore belli  
“ civilis, cum Pestis etiam multis in locis grassaretur, ac forte  
“ in castrum Dunstar, quod in agro Somertonensi est, ali-  
“ unde advecta, aliquot præfidiariis cum macularum ef-  
“ florescentiâ derepentè exanimatis, complures etiam ali-  
“ os corripuisset:—Chirurgus quidam à longis peregrina-  
“ tionibus redux, impetratâ à Præfecto venia, ut sibi  
“ miseris succurrere liceat:—Statim à primò morbi insul-  
“ tu sanguinem ingenti copiâ detraxit:—Et quanquam  
“ à Phlebotomiâ nullum omninò remedium adhibuit, ta-  
“ men ex compluribus iis, quos hoc modo tractasset, (mi-  
“ rum dictu!) ne unus quidem desideratus est (a)”. Et ne solæ huic historiæ pro praxi suâ firmandâ innixus esse videatur, Leonardi Botalli Medici superioris sæculi celeberrimi testimonium adducit suis ipsius verbis exscriptum ; qui nihil præsentius in Peste remedium quam largam &

Hujus  
Curationis mira  
historia.

I

tempe-

(a) Syd. Op. p. 199.



tempestivam sanguinis Missionem, suâ fide & multiplici experientia afferit (a). Necnon Rhazen, Medicinæ inter Arabas parentem, uti Variolarum ante suum tempus incognitarum curationem idem inchoavit & perfecit, ita in malignis quibusdam copiosiore Phlebotomia magno cum successu usum fuisse accepimus (b).

En tandem Evacuationem omnibus numeris absolutam! siquidem ad morbi vim compescendam promptissima est, atque Sudationi eo nomine anteponenda, quod altera inflammationem, caloremque intensissimum continuo immittit; altera eum ad Phrenesin usque adaugeat.

Quod si Vænesectionem ampliores cæteris obstructionibus uti præsens remedium sacraverit vetustas, eam quoque debito modo ac tempore adhibere in hoc morborum malignissimo, ubi obstructionem adeo universalem fieri docuimus, eadem ratio atque experientia jubent. Verum enimverò uti omnibus idem haud competit, ita quorundam, immò complurium temperamenta vix audacem adeo Evacuationem impunè paterentur; quis enim Medicus ægri rebus aut suæ famæ consulens, qui tantam sanguinis jacturam faciat, ubi pulsus adeo exilis & languidus deprehendatur, ut jure metuas ne flaccescentibus vasis mors improvisa & insuspecta adveniat summo Artificis opprobrio. Hic Sudoribus potius quam Phlebotomia rem geri consulerem, tum quia calor lectuli pulsum instauret, & cardiaca moderatiora quæ hisce protrudendis requiruntur (qualia sunt julapia, aut boli, aut electuaria Ther. Andr. pro basi recipientia) eidem commodo inserviant: Tum etiam quod firmat experientia egregii Sydenhami, tantum abesse ut ægri se exinde debiliores factos quererentur; quin potius quantum supervacanei humoris sudando decessisset, tantumdem novi roboris sibi accrevisse profiterentur: Id autem enitendum

Excepti-  
ones in  
Vænesec-  
tione.

(a) Syd. Op. p. 199.

(b) Friend. Hist. Med. ad Rhazen.



nitendum est ut jugis ad 24 horarum spatium Sudatio producat, & summâ interim ope cavendum ne æger extra stragulas manus pedesve impatiens projiciat, neu vel in partem lectuli intactam se vertat; multiplex enim experientia docet sudores, aut his modis, aut etiam sponte sæpius in ægri perniciem sisti.

Cum autem per ingentes has Evacuationes curatio perfici nequeat, nisi accedat simul humorum depravatorum correctio; quam igitur institutionem, quæ medicamina ad initium prophylaxeos subjunximus, eadem hîc ex fortiori conveniunt. Ad totum solidorum reficiendum conducent analeptica & roborantia.

Jamque mare infuetum emenso, vela tandem contrahere, portuque subire juvat; neque enim inexperto tanta audere, fragilemque truci pelago ratem committere decuit: Ideo autem mihi ignoscendum jure arbitror, quod doctissimorum virorum castas observationes mihi semper ante oculos, pro nauticâ pyxide, habuerim. At si quos forsan in errores minus cautè impingerim, id nimio ardore in veritatis investigatione factum esse putetis. Turpe est, cui nota semita, deerrare; sed novos aditus tentantem quandoque decipi, humanum est.

Conclu-  
sio.

*F I N I S.*



